

1. *Crepis Dioscoridis* SCHKUHR et DECANDOLLE x) LINNEANA planta non est, et a Cl. SCHRADERO *Cr. heterosperma* nominata est; planta DECANDOLLEI vix prope Basileam crescit, Lachenaliana saltem *Crepis Dioscoridis* longe diversa est. Colitur nunc in horto medico Argentiniensi *Crepidis* species, seminibus gracilibus insignis, verosimiliter est *Crepis dioscoridis* LACHENAL., cujus descriptioni y) exacte respondet, demtis tamen calycibus, in nostra planta glabrioribus, an a sola cultura?

Crepis Dioscoridis LINNEI et LACHENAL. *Crepis* foliis sinuato pinnatifidis, superioribus sagittato linearibus integris, subtus pallidis, seminibus oblongo attenuatis asperis.

2. In excursionibus botanicis quae in tironum gratiam quotannis a professore botanices instituuntur, Cl. VILLARS singularem *Crepidis* speciem detexit, ab omnibus recentioribus neglectam. Procul dubio est *Crepis calycibus muricatis* HALLER Helv. No. 32. a Cel. LACHENAL prope Basileam inventa, qui de hac planta mentionem facit in litteris ad HALLERUM Vol. V. p. 281 et p. 326. nec non in actis Helveticis Vol. VIII. p. 134* et in novis actis Helveticis Vol. I. p. 281.

Crepis Lachenalii: Caule erecto gracili paucifloro, foliis radicalibus spatulato-lanceolatis dentatis, superioribus linearibus, pedunculis elongatis, seminibus asperis. *Crepis neglecta*? LINN. *Spéc. plant. edit. REICHARD* Vol. III. p. 655.

Radix fibrosa ramosa; folia radicalia glabriuscula spatulato-lanceolata, dentata; caulis erectus gracilis glabriusculus, spithameus, drontalis, dividitur in tres quatuorve ramos, seu pedunculos, unifloros. Folia caulina inferiora lanceolata linearia remote dentata, dentibus productis; superiora linearia, pedunculi subaphylli apice incani,

x) DECANDOLLI *Icones plantarum Galliae. Tab. 18.*

y) *Acta nova Helvetica* Vol. I. p. 285.

calyces subfarinosi, costis nigro hispidis, squamulis calycinis externis minimis, setaceis, laxis. Flos parvus, pallide flavus, (nunquam subtus rubellus) semina, praesertim apice, aspera, pappo coronata capillari, niveo, substipitato.

Habitat haud procul a Bruscae ripis, prope Argentoratum, in lapidosis aridis, cum *Lactuca scariola*, *Bromo arvensi* etc. notandum est, hora circiter decima matutina, cum hanc plantam legerim, flores clausos fuisse, in *Crepide tectorum* tunc expansos. Floret Junio.

XVII. *Barkhausia* MOENCH. DECANDOLLE.

Calyx communis calyculatus, maturus sulcato costatus, foliolis exterioribus laxis, pappus pilosus stipitatus.

Genus a Clar. MOENCHIO in memoriam D. BARKHAUSII auctoris florum Lipsiensis nominatum.

Obs. I. a Barkhausio Moenchius adhuc *Hostiam* separavit, ob receptaculum pilosum pappumque difformem; est *Crepis foetida* LINNEI, ab aliis quoque *WIBELIA* nominata.

Obs. II. *Barkhausia taraxacifolia* DECANDOLLE, *Crepis tectorum* VILLARS, jam a LACHENALIO in actis novis helveticis descripta et a planta LINNEANA separata, tamen auctoribus germanicis ignota vel neglecta planta, licet in collibus siccis, ruderatis minime rara sit; sic non intelligo cur clar. PERSOON *Crepidem tectorum* VILLARS a *taraxacifolia* vel a praecoce sua, revocaverit et post *Crepidem tectorum* LINNEI, ut varietatem inseruerit.

XVIII. *Taraxacum* JUSSIEU. *Pissenlit* gall.

Calyx communis duplex, receptaculum glabrum, pappus stipitatus pilosus (Scapi uniflori).

Etym. incerta.

Usus, culinaris, folia vere comeduntur. Pharmac. radix et herba recentes, extractum.



Crepis Lachenalii